

vatis; pro tali enim casu Ecclesia dat jurisdictionem omnibus sacerdotibus etiam degra latis, excommunicatis vitandis, irregularibus, apostatis, et hæreticis, ac talis potestas extenditur etiam ad probabile periculum mortis. Vide *ib.*, a n. 13 ad 15, ubi, ut etiam in verb. *Absolutio* art. 1, num. 50, patet in jure ad propositum pro eodem usurpanti articulum et periculum mortis; physice tamen differunt: unde ne forte tironibus deesse videamur, dum dicimus sacerdotes quoscunque posse in articulo et in periculo mortis ut supra absolvere (dummodo non adsit sacerdos approbatus, ut mox n. sequenti), hic subnectimus quod articulum mortis est tempus illud quo mors certo instat de proximo, estque inevitabilis; periculum autem probabile mortis est tempus illud, quo mors non certo instat, sed ex sæpe contingentibus probabiliter timetur: sic est in proxime prælium aggressuris, aut periculosam, aut longam navigationem suscepturis; item in femina primo paritura, vel ad partum difficili, in bannitis impune occidibilibus, in proxime rationis, aut loquelæ usum amissuris, in inservientibus peste infectis, vel laborantibus morbo ut plurimum solito mortem asferre. In his igitur casibus simplex sacerdos non approbatus potest absolvere, etc., dummodo non adsit, etc., cum onere tamen penitenti imponendo, si conualescat, vel periculum mortis evanescat, de comparando coram superiore pro censuris reservatis, et de satisfacienda parte, quoties adsit pars læsa; unde quantum ad censuras reservatas tota auctoritas pro foro interno est. Vide etiam verb. *Absolvere*, *Absolutio*, art. 1, a n. 48 ad 57. (28. Simplex sacerdos non habet in præfatis casibus absolvendi jurisdictionem præsentem sacerdote approbato. Vide *ib.*, a num. 16 ad 17. Excipe vero casum, difficulter tamen contingentem, videlicet si præsens sacerdos approbatus malitiose absolutionem impertiri nollit; tunc enim ipse habendus esset tanquam absens, ac proinde simplex sacerdos absolvere deberet. (29. Nullus sacerdos sive sæcularis, sive regularis, potest confessiones excipere sine

Nota Romani Theologi.

(114) Etsi notum est Romanis censoribus, Patrem Dominicum Viva, nonnullosque alios probabilistas cum nostro Ferrario opinari, solum errorem communem sine titulo colorato sufficere ad jurisdictionem, qua valde penitentes absolvantur; tamen hanc assertionem sine adnotatione vulgandam Romæ non esse censuerunt; nam doctis quamplurimis viris laxa atque falsa omnibus visa est hæc opinio, cum præfati Ecclesie consensus rationabiliter non possit titulo colorato deficere. Quando adest titulus coloratus, nempe quando sacerdos subit examen coram episcopo, quando obtinet in conspectu hominum beneficium, et ut parochus ab omnibus tam solidis funtamentis habetur, sapienter et provide S. Mater Ecclesia ei confert jurisdictionem. At, si sacerdotes iniqui exponunt se in tribunali fide mala ad confessiones excipiendas: et istis Ecclesia jurisdictionem confert ob utilitatem fidelium, itane vero? An non vides hinc majora et horrendiora consequi absurda, quam sit utilitas penitentium? Nam admissa hac doctrina et persuasione in populo Christiano, quod

potestate jurisdictionis, aliter absolutio esset nulla, gravissime peccaret, et rigide posset, et deberet puniri; vide *ib.*, a num. 25 ad 27. Error communis potest dare jurisdictionem si in vero sensu capiatur: vide *ib.*, a n. 33 ad 37 (114). (30. Error communis cum titulo colorato et putativo dat jurisdictionem ad valide absolvendum, licet occultum subsit impedimentum ex jure positivo proveniens: vide *ib.*, num. 36. (31. Secus autem si defectus, seu impedimentum esset ex jure naturali, vel divino proveniens: vide *ib.*, n. 37. (32. An autem etiam error communis sine titulo colorato, seu putativo det jurisdictionem ad valide absolvendum? vide *ib.*, a num. 33 ad 42, ibique supponitur implicite tanquam certissimum errorem particularem non dare jurisdictionem; et ratio est, eo quia error particularis facile detegi potest ex communi notitia, nec incommoda ex illo sequantur, quæ ex errore communi; ac Ecclesia, sicut leges, primo, et principaliter bono communi prospicere, communitatisque incommodis occurrere assolet: unde licet error communis inferat jurisdictionem, non tamen error particularis; quoties autem stante errore communi aliqua oriretur suspicio de sacerdotis jurisdictione, exploranda foret sedulo veritas, qua non obstante, si dubium adhuc superstes maneret, perseveraret jurisdictione, quia prævalet possessio jam a populo acquisita.

(33. Quamvis jurisdictio et approbatio confessarii confundi soleant, eo quod regulariter data approbatione conceditur jurisdictione, in re tamen differunt; nam confessarii jurisdictione est potestas, sive jus in subditos ad absolvendi potestatem exercendam, quam ex vi ordinis habet sacerdos; approbatio autem est authenticum judicium de idoneitate sacerdotis ad confessiones excipiendas, seu cui possit ad id conferri jurisdictione, quod utique judicium stare potest absque jurisdictionis collatione, ut si episcopus sacerdotem jam judicatum idoneum non deputaret ad audiendas confessiones. Vide etiam verb. *Approbatio*, n. 1 et 3.

(34. Jurisdictio sacerdotis est quidem juris

valide sint confessiones et absolutiones talium fictorum confessariorum, jam aperitur janua omnibus iniquis et sceleratis sacerdotibus fingendi se confessarios, disseminandi errores, hæreses, et seducenti populum christianum. Siquidem, ut credantur confessarii, sat est, inquit P. Viva, ut error non sit *supinus*, aut *crassus*, sed probabilis. Quid autem facilius hoc errore probabilis contrario errori *supino* et *crasso*? Nam nemo præsumitur *realis*, nisi probeatur. Ergo quoties fideles vident sacerdotem sede item in tribunali, præsumere debent esse confessarium, licet non sit; et error communis semper probabilis erit, et non *supinus*. Utilitas ergo penitentium, quæ obtruatur pro fundamento jurisdictionis ab Ecclesia collate, inepta res est, si conferatur cum universalis damno, et perturbatione ministerii, et scandalis atque absurdis que sequerentur, si consisteret præfata opinio P. Vive et aliorum: titulus coloratus perquam rarus est. Errores isti communes, non *supini*, sed probabiles frequentissimi forent, semel admissa doctrina, quod ejusmodi confessiones et absolutiones validæ essent.

Ecclesiastici quantum ad collationem, ampliationem et restrictionem; Ecclesia enim est, quæ illam confert, et eo modo quo judicat in Domino expedire: at de jure divino est, quod sacerdos valide absolvere haudquaquam possit absque jurisdictione, quemadmodum sequitur ex verbis Trid. sess. 14, c. 7, adductis in verb. *Confessarius*, art. 1, n. 8; u. de circa jurisdictionem ministri, secundum quod est juris divini, in sacramentis tam administrandis quam recipiendis tenendum est idem, ac circa materiam eorundem, et formam, nempe quod minime liceat sequi opinionem probabilem, relicta tutiori propter easdem rationes; quia scilicet exponeretur periculo frustrationis sacramentum cum damno recipientis et irreverentia sacramenti. Cæterum quantum ad jurisdictionem secundum quod est juris Ecclesiastici, ad hæc usque tempora adhuc viget quam plurimorum doctorum sententia, videlicet quod Ecclesia suppleat seu det jurisdictionem confessario absolventi ex opinione vere et graviter probabili circa jurisdictionem, ut est juris Ecclesiastici, quemadmodum affati sumus de errore communi, cujus non minus potens sapientium opinio ad dandam jurisdictionem in penitentium bonum apparet, præsertim dum supponitur ei accedere circumstantia, quæ jurisdictionem moraliter certam reddat; ut esset Ecclesie determinatio, sac. canonum decisio, communis theologorum, et consuetudo (quam in proposito certam et indubitabilem testantur Cardenas, Suarez, Lugo Card. et alii), Patrum sensus, aut si opinio tutior sit improbabilis, vel tenuiter et non vere probabilis, aut scrupulosa: perenniter tamen gravi et summa cautela in cunctis procedendum.

(35. Jurisdictio confessarii distingui potest in directam et in indirectam. Prima est, quam exercet confessarius in peccata sibi tamen subjecta confessa, et alteri non reservata; vel, si alteri reservata, sibi tamen subjecta ratione Jubilæi, privilegii, vel specialis concessionis. Secunda est, quam in reservata, et sibi non subjecta exercet confessarius ratione concomitantie cum sibi subjectis. Exemplum pro jurisdictione directa non est necessarium siquidem per se patet ex terminis; exemplum pro jurisdictione indirecta est primo, dum quis legitimo confessario aperit peccata cum inculpabili oblivione aliquorum; peccata namque explicitè manifesta directe absolvuntur a confessario, quatenus in ea plenam habet potestatem si non sint reservata, peccata vero inculpabiliter oblita indirectè absolvuntur, ratione scilicet absolutionis datæ super peccata confessa, quatenus remitti non potest unum peccatum sine alio, sed gratia expellit omnia, cum nequeat quis insimul Dei amicus et inimicus esse. Secundo, si quis bona fide propria peccata confessus esset sacerdoti non habenti jurisdictionem, vel ob aliquem penitentis occultum defectum sine culpa contingat invalidam esse confessionem, sequenti confessione facta legitimo confessario, peccata illa indirectè manent absoluta,

ratione scilicet absolutionis datæ super peccata confessa, ut nuper dicebamus; id enim æquivalet inculpabili oblivioni; verum quoties penitens in cognitionem ferretur confessionis invalidæ, eam legitimo sacerdoti repetere deberet, ut directe subjiciantur et absolvantur peccata, nec non defectus inculpabilis corrigatur; quod si penitens, stante invalida confessione sui radicta, communionem sumpsisset, bona fides ipsum a sacrilegio excusasset; et dicta advertere, ad coercendos scrupulos, ac conscientie quietem inserendam fidelibus multis juvabit plurimum. Tertio, cum quis urgente necessitate celebrandi, aut communicandi coiletur confessario inferiori plura peccata, quorum aliqua sint reservata, tunc enim a reservatis absolvitur non directe, quia ea non cadunt sub potestate confessarii, sed indirectè, ex vi absolutionis directe datæ supra non reservata; cum onere tamen postea confitendi reservata habenti in ea auctoritatem pro directa absolutione: quod si penitens in præfata urgente necessitate non haberet nisi reservatum, confiteri deberet aliquod ex jam confessis peccatis, in quæ confessarius directam habet auctoritatem, ut vi illius indirectè, et per concomitantiam absolvere possit a reservato, alias nec indirectè penitens absolvi posset a reservato, sicut clare sequitur ex hucusque dictis; unde tunc penitens sibi consulere deberet per contritionem.

Quid autem sentiendum in urgentis præfatis, si casui reservato etiam foret annexa reservata censura, patefiet, Deo dante, in verb. *Reservatio casuum*.

(36. Jurisdictio in penitentes nequit acquiri sola consuetudine, uti expresse declaratum habetur in c. *Si Episcopus* 2, De penitentis et remissionibus, ibi: « Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessarium sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare. »

(37. Alia de jurisdictione et facultate confessarii quoad absolutionem, vide verb. *Absolutio* per tot.

(38. Jurisdictio gravi metu, vi seu fraude obtenta seu extorta, est ipso jure nulla, arg. l. n. § 1, ff. De judiciis; et Glossa *ibid.*, quæ explicans textum de Jurisdictione per vim compulsivam prorogata loquentem: « Nulla jurisdictio est, addit, scilicet ipso jure, sicut nec dos per vim promissa; » Concordat Bartolus *ib.*, § Non casum, et Abbas in c. 2, n. 12, De his, quæ vi metusve causa fiunt. Et facit c. *Unicum*, de his, quæ vi metusve causa fiunt, in 6, ubi similis absolutio a censuris per metum extorta declaratur omnino nulla, et sic tenet etiam Reiffenstuel, lib. 1 *Decretal.*, tit. 40, n. 63 et seq., et lib. n, tit. 2, num. 137, et alii cum Glossa Marginal. in cit. l. n. De judiciis, et alia Glossa in cit. cap. 4, verb. *Coactus*, De his quæ vi, metusve causa fiunt; Diastill. d. 10, n. 181. (39. Contraria tamen opinio est valde probabilis, et ipsam tenent Sanchez lib. III De matrimon., disp. 39, num. 13; Lessius, lib. 1 De justit. et jure, c. 17, num. 37. Pir-

hing lib. 1 Decretal., tit. 40, n. 33, ubi defendit tanquam probabiliorem, et La Croix lib. vi, part. n, n. 1334, ubi dicit quod probabilius est jurisdictionem vi, metu, vel fraude extortam sufficere ad valide absolvendum, quia confessio manet voluntaria simpliciter.

(40. Jurisdictionis contentiosæ actus regulariter sunt invalidi diebus Feriatis; l. 1, ff. De feriis, l. Si Feriatis, ff. eodem cap. *Omnes dies* 1, et c. *Conquestus* 5, de feriis. Ita Abbas in cit. c. *Conquestus* n. 1; Fagnan. *ibid.*, n. 1, et seq., et Communis aliorum. (41. Secus autem est dicendum de actibus Jurisdictionis voluntariæ, qui nimirum absque strepitu judiciali tantum in volentes exercentur, diebus etiam feriatis recte expediuntur, l. Solet, ff. De feriis, l. Actus omnes; cod. eod. ubi licentia diebus Feriatis emancipandi et manumittendi cunctis conceditur; et Baldus in summario generaliter inquit: « Actus voluntariæ jurisdictionis possunt explicari quolibet tempore, etiam feriatis; » vide quoad hæc verb. *Judicium*, a num. 24, usque ad finem.

(42. Jurisdictio ordinaria activa non recte inferitur ex privilegio exemptionis passivæ. Benediet. XIV, tom. I Constit. 76, incip. *Apostolicæ servitutis*, § 9 et 10. (43. Jurisdictio ordinaria prælato inferiori concessa dici nequit per verba generalia expressam illius mentionem non facientia. Idem *ibid.*, § 7. (44. Nec per cessionem juris episcopalis in genere, utpote quod intelligi potest consentanea ad exemptionem passivam. Idem *ibid.*, § 12. (45. Jurisdictio in clericum et populum monachis raro tributa; nunquam vero ætate Alexandri III. Idem *ibid.*, § 11. (46. Jurisdictio episcoporum in ecclesiis parochialibus regularium in Indiis Occidentalibus et Orientalibus asseritur. Idem tom. II, constit. 1, incip. *Quamvis ad confirmandum*. (47. Jurisdictio episcopi in omnes ecclesias intra diocesis suæ fines constitutas, in jure fundata est. (48. Idem constit. 33, incip. *Inter multa*, et constit. 40, incip. *Causarum Palatii*, jurisdictio activa in clericum et populum valde differt ab exemptione passiva. (49. Idem constit. 33, incip. *Inter multa*. Jurisdictio Græcis prælatis in populum Latini ritus nunquam in Italia attributa dignoscitur. Idem *ibid.*

(50. Inferior prælatus ad hoc ut territorium separatim, et jurisdictionem ordinariam, et quasi episcopalem in clericum et populum obtineat cum ipsius episcopi exclusione, non juvatur per Quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum et subsistens apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi, quæ fuit olim decisio S. Congregationis Concilii die 7 Januarii 1721, dein approbata a Clemente XI, die 14 ejusdem mensis, et confirmata a Bened. XIV, in suo Bullario tom. II, constit. 33. Tunc autem dicitur consuetudo rite indueta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior prælatus omnem omnino jurisdictionalium

actuum speciem ita solus exhibuerit, ut episcopus in cujus diocesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, neque in iis se unquam miscuerit. De Synod. diocesis., lib. xiii, c. 8, § 18 et 21, nov. edit.

(51. Episcopi, licet habeant capitula quantumcunque exempta, possunt per se ipsos sine adjunctis de capitulo visitare ecclesiam, canonicos, et beneficiatos, ut decisum a S. Congreg. Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non potest committere hoc munus alteri. *Ibid.*, c. 9, § 6, nov. edit.

(52. Si tamen extra visitationem velit contra Canonicum procedere, tenetur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, a Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo Canonici constituunt unum tantummodo suffragium, et si ambo conveniant in sententiam episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Tridentino sess. 25, cap. 6, *De refor.* præscriptam. Ita ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, et ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in sess. 6, c. 4, altero in sess. 25, cap. 4, *De Synodo diocesis.*, lib. xiii, cap. 9, nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Amplissima est hæc materia. At angusti limites additionum vix patiuntur, ut aliqua habeamus de jurisdictione ordinaria et delegata, tum de jurisdictione contentiosa et voluntaria.

53. Duobus modis jurisdictio dici potest ordinaria. Primo, quæ jure perpetuo et stabili, vel lege, vel principum constitutione ad instar regulæ constituta est et efformata. (54. Opponitur delegata, quæ extra ordinem committitur alicui, qui alias iudicis munus non habet, in certo casu, et sic se habet per modum exceptionis. (55. Hoc sensu omnia principum et prælatorum judicia jurisdictionem habent ordinariam, quippe quia hunc in finem sunt constituta, ut ordinarie et regulariter in causis controversis pateat ad ea aditus, et iudices iis propositi nomine principum et prælatorum jus dicant. (56. Commissarii vero, qui pro re nata ad certam causam deputantur, extraordinariam jurisdictionem habent, cum perpetuum iudicium non exerceant, sed unam alteramque causam ob singulares circumstantias expediant, pateatque adhuc ad delegantem recursus.

(57. Secundo dicitur ordinaria jurisdictio, quam quis jure proprio, et non ex alterius commissione et beneficio tenet et exercet, nec ita a superioris arbitrio dependet, ut pro ejus arbitrio revocari possit. (58. Opponitur huic vicaria, seu delegata jurisdictio, quam quis nomine et vice ejus qui jurisdictionem ordinariam habet, gerit. (59. Hoc sensu soli principes et episcopi habent jurisdictionem ordinariam. (60. Officiales vero episcoporum vicariam gerunt operam, qui eam ob causam dicuntur ipsorum vicarii, reddendis rationibus iisdem obnoxii sunt, et ab eis in exercitio jurisdictionis sunt dependentes.

(61. Dicit solet habere officialem eandem

jurisdictionem, quæ competit episcopo. At eam haud habet eodem modo. Ille enim eam habet jure proprio; hic vero potestate vicaria: licetque idem exerceat tribunal, quod episcopus habet, est adhuc ejus minister, ab eoque constituitur; vide de his omnibus Bohemer, in Decretal. lib. 1, tit. 28, § 7.

(62. De contentiosa jurisdictione non est quod multa habeamus. De ejus divisione in libellarem et decretoriam, traditam ab Obrecto De jurisdict., lib. 1, cap. 9, n. 19, vide omnino Schimier, Jurisprud. canon., lib. 1, tract. 5, cap. 8, in supplement. quæst. 2, per tot.

(63. Voluntaria jurisdictio neque a voluntate magistratus dicitur, quasi eam pro arbitrio accomodet, neque a voluntate partium, quasi eam pro suo libitu petant, sed potius ab actibus, qui non imperantur, sed a volentibus solum et consentientibus peraguntur; Lauterbac. in Disput. de jurisdict. volunt., thes. 2.

(64. Dividitur jurisdictio voluntaria in simplicem et mixtam. Simplex exercetur a magistratu sine speciali causæ cognitione, sola interpositione publicæ auctoritatis circa actum qui coram se geritur. Mixta exercetur cum speciali et solemnî causæ cognitione; Braun De jurisdict., c. 4, § 3, n. 4.

(65. Pertinent ad jurisdictionem voluntariam simplicem, ex jurisdispositione, adoptio, emancipatio, et manumissio, et, ex interpretatione prudentium, confirmatio testamenti judicialis, insinuatio donationis ultra 500 solidos, insinuatio judicialis hypothecæ bonorum immobilium, edictalis bonorum possessio, apertura et publicatio testamentorum; Lauterbac., dict. Disput., thes. 33, et sequitur Vinn. De jurisdict., cap. 6, n. 6.

JURISPRUDENTIA.

Noviss. adjunct.

SUMMARIUM.

1. Jurisprudentia quæ jura consideret. — 2. — 3. Jurisprudentia antediluviana. — 4. Hebræorum jurisprudentia. — 5. Ægyptiorum, aliarumque gentium, præsertim Græcorum legumlatores. — 6. Ro-

(1. Jus, ut mox videbimus, multiplex est: naturale, positivum, hocque aliud divinum, aliud humanum; humanum vero aliud item est, gentium, civile et ecclesiasticum. Itaque jurisprudentia quæ omnia hæc jura considerat, latissime patet.

(2. Primum omnium jurium fundamentum est jus naturæ. Hujus vero prima et generalia principia quam in se pauca, tam in iis quæ inde eruuntur multiplicia, manifestat lumen naturale, cuius hominum ingenitum. Hoc lumen cum in Adamo admodum excellens fuerit, facile ea quæ ad jus naturæ pertinent, progeniem suam posterosque ille docuit, copioseque explanavit.

(3. Præter jus hoc, quod omnium aliorum jurium regula est moderatrix, primorum parentum filiis et filiabus, horumque nepotibus in familias distributis jus quoddam

(66. Ad jurisdictionem voluntariam mixtam pertinent arrogatio, emancipatio impuberis, manumissio servi, si fiat a minori 25 annis, transactio de alimentis testamento relictis, alienatio rerum immobilium vel mobilium pretiosarum ad pupillos vel minores spectantium, et bonorum possessio decretalis; consule Schimier Jurisprud. canon. civil., lib. 1, tract. 5, cap. 8, section. 2, § 4, num. 38, et plur. sequent.

(67. Quæritur an dispensatio super votis et juramentis, absolutio a censuris, collatio beneficiorum aut privilegiorum, et alia id genus jure canonico inducta spectent ad jurisdictionem voluntariam, et utrum ad simplicem, an ad mixtam? At confer Schimier Jurisprud. canon. civil., l. 1, tract. 5, cap. 8, sect. 2, § 3, n. 43, et sequent.

(68. Conveniunt in hoc jurisdictio simplex et mixta, quod utraque personale requirit præsentiam eorum quibus administratur, nec ministerium procuratoris admittit; Braun De Jurisdict., c. 4, § 3, num. 21. (69. Differunt vero quia simplex potest administrari in causa propria, propriæ et conjunctis personis, a iudice competente et incompetente, intra et extra territorium jus dicentis, die feriatis et non feriatis. Mixta vero redditur causis et personis alienis, a iudice competenti, ac pro tribunali sedente intra territorium proprium, diebusque juridicis. Nec mirum. Simplex enim cum non requiratur causæ cognitionem, nec iudicio, nec loco astricta, solam præsentiam magistratus et inscriptionem negotii ad acta desiderat. Mixta vero, utpote desiderans judicialem causæ cognitionem, certo loco, iudici, et iudicio alligata est; Vinnius De Jurisdict., cap. 6, num. 7; Braun eod. tract., c. 4, § 3, num. 38, et seq.

manorum jurisprudentia profana a Numa Pompilio ad Justinianum. — 7. Juris Justinianei fata in oriente. — 8. Et in occidente. — 9. Jurisprudentia sacra, seu ecclesiastica.

economicum (species civilis adhuc imperfecta) esse cœpit, sine quo recta familiæ gubernatio subsistere nequit, ut quod officia uxoris erga maritum, liberorum erga parentes, servorum erga dominos, et familiæ membrorum erga se invicem complectitur. Ubi vero illæ magis magisque auctæ in gentes integras excrevere, ortum est jus gentium circa bella, pacis fœdera et commercia mutuo consensu constitutum. Constructis autem civilibus, natum est jus civile seu politicum, quo omnia et singula civitatis membra in officio continentur. Cætera universim jurisprudentia in sacram et profanam jam tum dividebatur. Docet enim ipsum jus naturæ, Deo quod Dei est, et homini quod hominis est, dandum esse. Utrumque ab Adamo tanquam juris doctore divinitus constituto primis hominibus traditum est,